AD
SOLLEMNIA PUBLICA
GYMNASII
RICHLINGHUSIANI

VI., V. A. CAL. ET PRID. CAL. SEPT. ANNI MDCCCVIIII.
INSTITUENDA

EA QUA PAR EST
OBSERVANTIA
GYMNASII CURATORES AC FAUTORES
INVITAT

Dr. STIEVE,
GYMNASII DIRECTOR.



INSUNT:

1. COMMENTATIO DE OSTRACISMO ATHENIENSIUM, AUCTORE HEUMANN.
2. ANNALES GYMNASII, AUCTORE STIEVE.

RICHLINGHUSII
TYPIS BAUERIANIS.

Quaedam de ostracismo Atheniensium.

§. I.
Definitio et varia nomina ostracismi.

Genus illud judiciorum populi, quo Athenienses nonnunquam civem, qui reipublicae libertati periculum moliri videretur, in certum tempus suffragiis per testam latis ex urbe expellebant, sine ullo tamen vel eius famae, vel rei familiaris, vel iurium civilium damno, ostracismus appellabatur. *Ὀστρακισμὸς*, quo nomine *κατ᾽ ἐξοχὴν* hoc institutum appellabatur, *ἐξοστρακισμὸς*, *ἀποστρακισμὸς*, sive per metonymiam *ὄστρακον* et *ὄστρακις* vocabula sunt idem significantia et originem a voce *ὄστρακον* repetunt. *Ὄστρακον*, *ὄστρεον*, *ὄστρειον*, eiusdem originis voces, primitiva sua potestate rem quandam ossis instar iuduratam significant, speciatim quoque concham sive testam conchyliorum cancrorum et testudinum. Quum praeterea ali[illegible] in judiciis pro calculis *χοιρίναις*, quae erant conchae marinae, ut Pollux docet [1]), deinde calculis aeneis secundum harum exemplar factis usi sint, disputatio inter viros doctos exorta est: utrum *ὄστρακα* sive testae, quibus in ostracismo utebantur, conchae marinae an frusta quaedam terrae coctae, sive testulae figulinae fuerint. Quae res si esset magni momenti, in disceptationem vocari eam operae pretium esset, quod quum non sit, illud tantum monitum velim, voces, quibus veteres scriptores ostracismum explicant, non ad conchas marinas, sed ad testas figulinas referendas esse mihi videri. Hesychius enim in v. *κεραμικὴ μάστιξ* explicanda non respicit ad conchas vel ossa, sed ad testulas humo fictas, ait enim: *μάστιγα μὲν λέγουσιν τὸν ὀστρακισμὸν, διὰ τὸ βασανίζειν τοὺς ὠστρακισμένους καὶ κολάζειν, κεραμικὴν δὲ διὰ τὸ ἐκ κεράμου* (i. e. ex argilla) *τὰ ὄστρακα εἶναι* *). Quin et hanc sibi imaginem latini quoque scrip-

[1]) Onomast. lib. VIII. c. V. *πάλαι χοιρίναις ἀντὶ ψήφων ἐχρῶντο, αἵπερ ἦσαν κόγχαι θαλάττιαι.*

*) Cf. Suid. s. v. *κεραμικὴ μάστιξ.*

tores *τῶν ὀστράκων* formasse videntur, quum *ὄστρακον* reddiderint latina voce testae vel testulae, quae vox plerumque argillam significat. Corn. Nepos e. c. vocem *ὀστρακισμὸς* semper latina voce testarum sive testularum, non concharum suffragia reddit. Ostracismus itaque dictus est ab *ὄστρακον*, sive testula, humo ficta, ut petalismus apud Syracusanos a *πέταλον*, folium. Pari modo Athenis senatorem e senatu eiicere dicebatur *ἐκφυλλοφορῆσαι*, propterea quod senatores nomen illius, quem eiici volebant, folio inscribebant [2]). Quare vero potissimum testis et non alia scribendi materie, e. c. papyro (*χάρτης*) tabellis ceratis, aut membrona pergamena, quarum rerum usus iam Solonis temporibus minime erat ignotus, usi sint, forsitan aliquis interrogaverit. In exercendo ostracismo, in tanta hominum multitudine et tanta inscriptionum accumulatione duriore quadam scribendi materie opus fuisse, quam ob rem neque tabellis ceratis nec foliis aliave materie molliori commode uti possent, neminem praeterit, membrana vero et papyrus mea quidem opinione pluris tum temporis stabat, quam ut a cive quovis paupere emi facile potuisset. Postera etiam aetate Cleanthes, quod propter pecuniae inopiam papyrum sibi comparare non posset, verba praeceptoris sui Zenonis in testulis et ossibus bubulis [3]), nec non eadem de causa Apollonius grammaticus disputationes suas in testis inscripsit. — Eustathius tradit, testulis in speciem sepositionis vel exsilii [4]), itaque symbolo pro re signata usos esse. Sed haec hactenus de definitione et etymologia vocis *ὀστραπισμὸς*, hoc tantummodo addito, actum exsilii decernendi ipsum *ὀστρκοφορίαν*, effectum autem *ὀστρακισμὸν* vocatum esse [5]), si rem suo certo ac proprio vocabulo appellare volebant.

§ II.

Quare Athenienses ostracismum instituerint.

Ἔστι δὲ σωφρόνων ἀνδρῶν φυλάττεσθαι τῶν πολιτῶν τοὺς ὑπεραυξανομένους, ἐνθυμουμένους ὑπὸ τῶν τοιούτων τὰς τυραννίδας καθισταμένας. Andocides.

In nulla alia re ii, qui de ostracismo scripserunt, magis consentiunt, quam quid Athenienses ostracismo instituendo consequi voluerint. Lex lata erat, ut paucis dicam, contra eos, qui tyrannidem appeterent [6]). Tyrannus autem Graecis habebatur et dicebatur, qui potestate erat perpetua in ea civitate, quae libertate usa fuerat [7]). Non patrati facinoris causa civem aliquem exterminabant, sed cavebant, ne re publicae forma sublata dominatum occuparet. Ita enim appetentes imperii popularis Athenienses erant, ut etiam

---

[2]) Poll. l. l.
[3]) Diogen. Laert. VII. 174.
[4]) Ad Iliad. *σ'. ἐν εἴδει ἀφορισμοῦ, ἤγουν ἐξορίας.*
[5]) Pollux, l. l.
[6]) Heraclid. de rebusp. *διὰ τοὺς τυραννιῶντας.*
[7]) Nepos in Miltiad. c. 8.

optimos [8]) et praestantissimos quosque eiicerent, si eximia virtute in civitate nimia fruerentur auctoritate. Cui rei exemplum Aristidis firmissimo est argumento. Vitae integritate, animo ab omnium partium studio alieno, iustitia tantam inter cives consequutus erat famae celebritatem, ut cives solo eius arbitrio discordias componerent litesque, posthabitis vel iudiciis, dirimerent. Id Themistocles, eius aemulus, in suam rem convertens, ut populi invidiam conflaret Aristidi, in vulgus spargebat sermones, Aristidem sublatis iudiciis, quod omnia iudicaret et disceptaret, clam sibi dominatum parasse sine corporis custodia „ἀδορυφόρητον μοναρχίαν“ [9]). Quo factum est, ut Aristides urbe eiectus sit. Quivis civis, ait Diodorus Siculus, nomen illius, quem reipublicae populari (democratiae) praecipitandae maxime parem esse, arbitrabatur, in testa inscribebat, ut eum e civitate exterminaret. Id Athenienses, ita enim pergit, instituisse videntur non ad puniendam proditionem, sed potius ad spiritus optimatium exsilio perfringendos [10]). Ita eiectus est Themistocles, quod eius dignitatem atque auctoritatem, idque, ut obiter dicam, non temere pertimescebant. Neque tamen negari potest, invidiam et aemulationem praestantiae maximam saepe in aliquo eiiciendo vim habuisse, quod praeter alios scriptores praecipue Plutarchus docet. Postquam enim memoravit, Themistoclem relegatum esse, ut eius dignitatem et auctoritatem deprimerent, idque Athenienses facere solere in iis, quorum opes ipsis graves essent et mediocritatem popularem excessissent, sic pergit: *κόλασις γὰρ οὐκ ἦν ὁ ἐξοστρακισμὸς, ἀλλὰ παραμυθία φθόνου καὶ κουφισμὸς, ἡδομένου τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ τὴν δυσμένειαν εἰς ταύτην τὴν ἀτιμίαν ἀποπνέοντος*, quae ad verbum sic transfero: poena non erat ostracismus, sed mitigatio et allevatio invidiae, quae gaudebat praecellentiores deprimere et infestum animum in hancce contumeliam evomebat [11]). Idem fere commemorat in vita Alcibiadis et Niciae [12]) Pollux dicit [13]) *δι' ἀρετῆς φθόνου μᾶλλον ἢ κακίας ψόγον* Athenienses alicui ostracismum inflixisse [13]). Neque ab hoc alienum illud C. Nepotis: est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius [14]). Quantopere populus Atheniensis pertimuerit, ne imperium populare a cive quodam, qui nimium in urbe valeret, praecipitaretur, docet quoque Corn. Nepos: „Etsi (Miltiades) crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis; namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante fuerat, omnium civium potentiam extimescebant“; itaque po-

---

8) Schol. ad Aristophan. equit. v. 851. *σχεδὸν οἱ χαριέστατοι πάντες ὠστρακίσθησαν.*
9) Plutarch. Aristid. c. 7.
10) Biblioth. l. XI. c. 55.
11) Plutarch. Themistocl. c. 22.
12) In Alcibiad. c. 13; in Nicia, c. 11.
13) lib. VIII. c. V.
14) In Chabria, c. 3.

pulum, quum Miltiadem omnia illa adiumenta habere, quibus facile sibi viam ad dominationem munire potuisset, intellexisset, maluisse „eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore“ [15]). Eodem illo pertinet, quod Thucydides, gravissimus ille rerum scriptor, dicit: populum Atheniensem, quod fama accepisset, Pisistrati tyrannidem eiusque filiorum extremis temporibus gravem fuisse, semper in metu versatum esse atque omnia suspecta habuisse [16]). Imo etiam Aristides rhetor in oratione pro Quatuorviris eo dicendo provectus est, ut contenderit, ab Atheniensibus, quum cogitassent calamitates, quas Pisistratidis regnantibus perpessi essent, quumque voluissent, neminem ceteris praeferri, sed aequali omnes esse potestate, iure Cimonem et Themistoclem eiectos esse [17]). Denique Aristoteles, philosophorum totius antiquitatis facile princeps, vir rerum politicarum peritissimus, praecipue Atheniensium, in quorum urbe per longum tempus quum discipulus Platonis, tum Academiae praeceptor celebratissimus, hac de re fere haec dicit: civitates eas, ut perpaucis dicam, in quibus populus rerum potiatur, ostracismum decernere ad tuendam civilem aequabilitatem eosque viros, qui potentia excellere videantur propter divitias, amicorum multitudinem aliasque vires civiles (*ἤ τινα ἄλλην πολιτικὴν ἴσχυν*) per testam in decem annos expellere solere, idque remedium aliquod esse, quo rempublicam sanare conentur [18]). Alio loco docet [19]), ad occurrendum dominationi et imperio unius in liberis civitatibus, quod nimia unius potentia exoriri soleat, viros praestantiores in certum tempus relegari; praestare enim, ab initio providere, ne tam excellentes possint exsistere, quam malo posterius ex patientia et negligentia nato mederi. — Ceterum tantum abfuit, ut exsilium decennale probrum cuiquam inferret aut ignominiam infamiamve inureret, ut contra honorifici aliquid in se haberet [20]); quae quidem res iam ex eo intelligitur, quod viris tantum praestantissimis maximeque excellentibus irrogari solebat. „Id optimo cuique, ait Cicero [21]), accidere solitum, ut in exsilium pelleretur“. *Μοχθηρίας γὰρ*, ait Plutarchus, *οὐκ ἦν κόλασις ὁ ἐξοστρακισμὸς, ἀλλ᾽ ἐκαλεῖτο μὲν δι εὐπρέπειαν, ὄγκου καὶ δυνάμεως βαρυτέρας ταπείνωσις καί κόλασις* [22]). Exsilium nullam cuiquam maculam adspersisse, contra honorifici aliquid habuisse, inde quoque luculenter apparet, quod populus

---

15) Miltiad. c. 8.
16) Lib. VI. c. 53.
17) *Δοκοῦσι γὰρ τὰς συμφορὰς ἐνθυμούμενοι, τὰς ἐπὶ Πεισιστρατιδῶν γενομένας ἑαυτοῖς, μηδένα βούλεσθαι μεῖζον ἐᾶν τῶν πολλῶν φρονεῖν, ἀλλ᾽ ἐξ ἴσου εἰς δύναμιν εἶναι, δίκαια ἀρὰ ἐποίουν ἐλαύνοντες Κίμωνα καὶ Θεμιστοκλέα.*
18) Polit. III. c. 13.
19) l. I. V. 3.
20) Aristides rhetor exsilium vocat *οὐκ ἀσχήμονα τὴν συμφορὰν — ἀλλ᾽ ἔχει*, inquit, *ὥς ἐν τούτοις εὐπρέπειαν.* Orat. Platon. II. tom. III. opp. p. 398 et 399. ed. Canteri.
21) De orat. l. II. c. 13.
22) In Arist. c. 7. et Thucydid. VIII. 73. Necarunt Hyperbolum in insula Samo,

summa incensus est indignatione, quum ostracismus, postremum Hyperbolo, nihili ac deperdito homini irrogatus esset. Sed de hoc vappa infra latius disseram, quum de fine instituti sermo erit. Instituerunt igitur Athenienses ostracismum, ut in fine huius nostrae disquisitionis particulae paucis repetam ea, quae demonstrare studuimus, ut tyrannidem sive imperium unius praecaverent, eiiciendo civem, qualiscunque esset, eum, a quo reipublicae populari periculum impendere arbitrabantur. Si fortasse quis e lectoribus institutum illud malum fuisse existimet, non repugno; illud solum moneo, Atheniensibus illud malum ad tuendam reipublicae popularis formam esse necessarium, persuasissimum fuisse.

§. III.

De origine ostracismi eiusque auctore.

Etsi veteres scriptores in ea re, ob quam rem Athenienses ostracismum instituerint, omnes consentiunt, de origine tamen et auctore huius instituti inter eos maxime discrepat. Alii originem ad tempora Thesei referunt, alii tempori attribuunt, quod secutum est statim post Pisistratidas expulsos. Suidas [23]), a quo non abhorret id quod Eusebius [24]) narrat, meminit, Theophrastum narrare; Theseum primum ostracismo eiectum esse, idque, Scholiastes Atristophanis [25]) perhibet, Lyco quodam impulsore maxime factum esse. Nec non apud Eustathium (ad Iliad. 9) memoratur, Theophrastum narrasse, Theseum primum ortracismo expulsum esse. Photius [26]) Achillem quendam nominat instituti inventorem — Iam vero auctores proferam, qui huius instituti originem Thesei aetati fere octo saeculis postponunt. Diodorus Siculus, Themistoclem, inquit, ostracismo, qui post Pisistratidas eiectos constitutus sit, expulsum esse [27]). Ab hoc non abit Harpocratio, qui ex Androtione refert, Hipparchum propinquum Pisistrati primum ostracismo eiectum, lege tunc primum lata [28]). Suidas s. v. *Ἵππαρχος* omnino idem dicit.

μοχθηρὸν ἄνθρωπον ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον, sc. ut plerumque fieri solebat, *ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆν πόλεως.*

23) S. v. *Ἀρχὴ Σκυρία· ὀστρακισθῆναι πρῶτον Ἀθήνησι Θησέα, ἱστορεῖ Θεόφραστος ἐν τοῖς πρώτοις καιροῖς.*

24) Chronic. ad annum 786. *Θησεὺς Ἀθηναίους κατὰ χώραν ἐσπαρμένους εἰς ἓν συναγαγὼν, ἤτοι εἰς μίαν πόλιν, πρῶτος ἐξωστρακίσθη, αὐτὸς πρῶτος θεὶς τὸν νόμον.*

25) Plut. v. 627. *Μετὰ τὸ χαρίσασθαι τὴν δημοκρατίαν τοῖς Ἀθηναίοις τὸν Θησέα, Λύκος τις συκοφαντήσας ἐποίησεν ἐξοστρακισθῆναι τὸν ἥρωα.*

26) In excerpt. Ptolem. Hephaest. l. 6. *καὶ τὸν ὀστρακισμὸν ἐπινοήσας Ἀθήνησιν Ἀχιλλεὺς ἐκαλεῖτο, υἱὸς Λύσωνος.*

27) Lib. XI. c. 55. *ὃς ἐνομοθετήθη ἐν ταῖς Ἀθήναις μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν τυράννων τῶν περὶ Πεισίστρατον.*

28) S. v. *Ἵππαρχος. ἄλλος δέ ἐστιν Ἵππαρχος ὁ Χάρμου, ὥς φησι Λυκοῦργος*

Pari modo Plutarchus testatur, Hipparchum ex demo Cholargo, propinquum Pisistrati primum ostracismo eiectum esse [29]). Huiusce propinquitatis ratio, ut hoc loco et obiter dicam, huiusmodi videtur fuisse: Hippias, Pisistrati filius, qui patri successit in imperio, uxorem duxerat Charmi, *τοῦ πολεμαρχήσαντος*, filiam [30]). Quin, mirum in modum! Heraclides Pontius (*περὶ πολιτειῶν*) Hippiam Pisistrati filium et successorem instituti auctorem facit. Aelianus autem Clisthenem, Alcmaeonis filium, ait, et auctorem fuisse et primum ostracismo expulsum esse [31]). Postremum affero Philochorum, qui Clisthenem auctorem ostracismi fuisse, dilucide exposuit. Hic vero luculentus Philochori locus [32]), qui non ita multis abhinc annis innotuit, omnium sine ulla dubitatione notatu dignissimus, quum fere omnibus rebus, quae ad hanc nostram disquisitionem spectant, clarissimam afferat lucem, et quod saepenumero ad eum locum confugiemus, totus excitetur necesse est. *Προὐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ἡ πρυτανείας, εἰ δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰςφέρειν· ὅτε δ᾽ ἐδόκει, ἐφράσσετο σανίσιν ἡ ἀγορὰ καὶ κατελείποντο εἴσοδοι δέκα, δι᾽ ὧν εἰσιόντες κατὰ φυλὰς ἐτίθεσαν τὰ ὄστρακα, στρέφοντες τὴν ἐπιγραφήν· ἐπεστάτουν δὲ οἱ τε ἐννέα ἄρχοντες καὶ ἡ βουλή. διαριθμηθέντων δέ, ὅτῳ πλεῖστα γένοιτο καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακιςχιλίων, τοῦτον ἔδει τὰ δίκαια δόντα καὶ λαβόντα ὑπὲρ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως ἔτη δέκα· (ὕστερον δὲ ἐγένοντο πέντε) καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐπιβαίνοντα ἐντὸς Πέρα τοῦ Εὐβοίας ἀκρωτηρίου. Μόνος δὲ Ὑπέρβολος διὰ ἐξοστρακισθῆναι διὰ μοχθηρίαν τρόπων οὐ δὶ ὑποψίαν τυραννίδος· μετὰ τοῦτον δὲ κατελύθη τὸ ἔθος ἀρξάμενον νομοθετήσαντος Κλεισθένους, ὅτε τοὺς τυράννους κατέλυσεν, ὅπως συνεκβάλοι καὶ τοὺς φίλους αὐτῶν.*

Vides, lector, quantopere antiqui scriptores hac in re discrepent; quattuor enim: Theseus, Achilles, Lysonis filius, Hippias et Clisthenes huius instituti auctores memorantur. Quam ob rem in singulos inquiramus, neque desperemus, fore ut verum detegamus. Primum quod attinet ad Theseum, duo gravissimi auctores, Diodorus et Plutarchus, quamquam uterque vitam eiusque

---

ἐν τῷ κατὰ Λεωκράτους· περὶ γὰρ τούτου Ἀνδροτίων ἐν τῇ δευτέρᾳ φησίν, ὅτι συγγενὴς μὲν ἦν Πεισιστράτου τοῦ τυράννου, καὶ πρῶτος ἐξωστρακίσθη, τοῦ περὶ ὀστρακισμὸν νόμου, τότε πρῶτον τεθέντος διὰ τὴν ὑποψίαν τῶν περὶ Πεισίστρατον. Id est propter suspicionem in Pisistratidas, uti vir cel. Schoemannus (de comit. Athen. lib. II. c. VI.) recte observat contra Meursium, qui (in Pisistrato, c. 7.) ambigue vertit „propter suspicionem Pisistrati"

29) In Nicia, c. II. Hic demus Cholargus pertinebat ad tribum (*φυλὴν*) Acamantidem. Wachsm. Hellen. Altrth. II. I. p. 436.

30) Athenaeus, ex recens. Dind. Vol. III. e. 1355.

31) Var histor. lib. XIII. c. 24. *Κλεισθένης δὲ Ἀθηναῖος τὸ δεῖν ἐξοστρακισθῆναι πρῶτος εἰςηγησάμενος, αὐτὸς ἔτυχε τῆς καταδίκης πρῶτος.*

32) Philochorus in loxico rhetor. post Phot. Pors. p. 675. comparatus cum Scholiasta ad Aristoph. *ἱππ.* v. 851 et emendatus a viro cel. Meiero in indice lectt. Hal. 1835 — 1836.

res gestas memoriae tradidit, nihil dicunt, ex quo de ostracismo illi irrogato vel minimam coniecturam facere possis. Diodorus memorat, Theseum exorta seditione patria excedere coactum esse [33]); Plutarchus, licet multo accuratius illius expulsionis causas exponat, dicit, Theseum seditione et factionibus praecipue ab Menestheo ipsi conflatis, expulsum esse [34]), nulla ostracismi facta mentione. Argumentum fere unicum, ex quo Theseum ostracismo mulctatum esse, forsitan demonstraveris, haustum est ex fragmento deperditi operis Theophrasti, quod inscribitur *πρῶτοι καιροί*. Theophrastum Suidas, Pausanias, quem affert Eustathius, et haud dubie Eusebius, fortasse etiam Scholiastes secuti sunt. Theseus, Athenarum et magnitudinis et potentiae auctor, multa instituit, quae, licet populo utilia et gratissima essent eiusque rebus magnopere faverent, non ita tamen omnibus, minime vero optimatibus placerent, quippe arbitrantibus, se in iure suo interpellatos esse. Quorum itaque opera factum est, ut seditione exorta Theseus, vir de civitate optime meritus, expelleretur. Quae Thesei sors quum maximam similitudinem cum sorte eorum, qui postea per ostracismum sunt expulsi, haberet, false scriptor aliquis, ut ei nomen quoddam inderet, vocem *ἐξοστρακισθῆναι* usurpavit. Deinde quod attinet ad Achillem, Lysonis filium, unum atque idem sentio, quod doctissimus vir Hemsterhusius de hoc ad Aristophanis Plutum docuit [35]). Namque gravissimis rationibus probavit, pro *Λύσωνος* legendum esse *Λύκωνος* et ab antiquo quodam scriptore id filio tributum esse, quod plures de patre narrassent. Harum igitur rerum, quae de Achille commemorantur, similis est ratio, atque earum, quas de Theseo diximus. Praeterea Andocides innuere videtur, ostracismum non ad prisca illa tempora referendum esse. In oratione enim illa, quam eum in Alcibiadem habuisse ferunt, eo dicendo provectus est, ut ostracismi auctorem vituperatione dignum esse censeat, quippe qui contraria senatus populique iuriiurando protulerit, eo enim senatum populumque se obstringere, neminem civem indicta causa se exacturos esse, in ostracismo autem neque accusatos nec defensos dulci civitatis adspectu fructuque privari [36]). Illud iusiurandum non ad tempora Thesei et Achillis, verum ad Solonem iurisiurandi huius auctorem referendum est, quod neminem fugit; quid igitur Andocides civem potuit vituperare, quod legem tulerit contrariam cuidam rei, quae tum, quum legis lator vivebat, non exstiterit? Si legis lator merito vituperandus sit, legem tulerit necesse est, tempore, quo Solonis iusiurandum iam vigebat. Inde sequitur, ut lex de ostracismo non ante Solonem lata sit. Postremum quod attinet ad tyrannum Hippiam, qui etiam in numero auctorum instituti habetur, stupendum paene est, ut omittamus, hanc opinio-

[33]) Lib. IV. c. 62.

[34]) In Theseo, c. 32.

[35]) V. 627. Lycus frater erat Aegei, Thesei patris. Ab Aegeo patria expulsus, quum post eius mortem in patriam esset reversus, ut iniuriarum sibi a fratre illatarum poenas a filio repeteret, opera praecipue Menesthei effecit, ut Theseus expulsus sit.

[36]) p. 112. ed. Reisk.

nem unico deperditi scriptoris eiusque, qui post antiquatum iam ostracismum vixerit, fragmento niti, tyrannum legem tyrannidi maxime contrariam tulisse dictum esse. „Sed populo illam a tyranno datam esse potestatem, quis credat?“ rectissime vir cel. Schoemannus observavit [37]). Quum igitur primum gravissimi auctores, Plutarchus, Diodorus, Harpocratio ex Androtione ostracismi originem ei aetati, quae secuta est post Pisistratidas expulsos attribuant, deinde quum hoc institutum dominatui optimatium, penes quos reipublicae administrandae ante Solonem summa erat potestas, nequaquam inserviret, denique quum inde a Thesei temporibus usque ad Pisistratidas expulsos intra septem amplius saeculorum spatium nullum ostracismi exstet exemplum, postremum quum in iis, quae Solon instituit, quod sciam, nulla ostracismi facta sit mentio [38]); concludendum est, Aelianum, qui Clisthenem auctorem nominat, verum dixisse. Huc accedit, quod omnem dubitationem tollit, gravissimum Philochori testimonium „*τὸ ἔθος ἀρξάμενον νομοθετήσαντος Κλεισθένους, ὅτε τοὺς τυράννους κατέλυσεν, ὅπως συνεκβάλοι καὶ τοὺς φίλους αὐτῶν*. — Calamitates, quas Athenienses, Pisistratidis regnantibus, perpessi sunt, tot tantaeque fuerunt, ut vere dici possit, nunquam ante maiores Athenis exstitisse. Pisistratus bis urbe eiectus, bis et dolo et vi de integro rerum potitus est. Quo mortuo, filii Hippias et Hipparchus ei in imperio succedebant; initio iusto et miti quidem regnabant imperio, donec, Hipparcho interfecto, Hippias, et re et nomine tyrannus in cives saevire incoepit, tum ut fratris caedem ulcisceretur, tum ut regnum obtineret. Alcmaeonidae, quorum princeps Clisthenes acerrimusque tyrannorum inimicus erat, in Macedoniam aufugere coacti erant, sed paulo post auxiliante deo Delphico, corruptis sacerdotibus et praecipue opera Spartanorum deceptorum Hippiam urbe extruserunt. Alcmaeonidae reversi sunt, cum iis quoque Clisthenes, qui deinde leges suas ad rempublicam popularem accommodatas dare coepit. At Isagoras eius aemulus, qui a partibus optimatium stabat, opera Spartanorum, qui quum in omnibus civitatibus dominationi optimatium faverent, tum maxime Alcmaeonidis, ubi se ab illis dolo captos esse senserunt, infesti essent, Clisthenem cum multis eius gentis et septingentis familiis urbe expulit. Postremo vero, rursus rerum facta commutatione, multis eorum, qui a partibus Isagorae stetissent, interfectis, Isagora Spartanisque fugatis, Clisthenes cum expulsis denuo rediit, quo facto ea, quae ad fundandam rempublicam prorsus popularem instituere iam antea inchoaverat, plene perfecit; ostracismum instituit, nullam enim rem magis populari imperio favisse, quam illum, nemo non videt. Quum autem iteratus Clisthenis reditus incidat in annum quingentesimum octavum ante nostram aeram, ab hoc vel postero anno institutum nostrum originem trahere, existimo. Quod vero Clisthenis expulsionem per testam factam attinet, cuius Aelianus meminit, haud dubie ad fugas, de

---

37) L. c. p. 247.

38) Rationes, quibus vir doctissimus Wachsmuthius (l. c. I. I. p. 272) adductus sit, ut ostracismum a Solone dicat permissum esse, fateor me ignorare.

quibus supra diximus, sint ad Megaclem, Clisthenis filium, quem per testam eiectum esse perhibent [39]), referendam esse censeo. Nemo enim neque scriptorum, quos supra memoravi, praeter Aelianum Clisthenis per testam eiecti fecit mentionem, neque Herodotus iis locis, in quibus de Clisthene disserit [40]). Maxime autem probabile est, quod Plutarchus, Harpocratio, Suidas locis laudatis testantur, Hipparchum tyranni affinem (de hac affinitate supra diximus) primum per ostracismum expulsum esse. Hipparchum enim, tyranno affinem, in urbe esse, Atheniensibus non minus molestum fuisse, existimo, quam Romanis fuit, Tarquin. Collatinum, Superbo expulso, diutius in urbe remanere. Etsi Collatinus optime de libertate Romanorum meritus erat, nihilque aliud offenderat, tamen, uti docet Livius [41]), nomen, quod Tarquinius erat, invisum civitati erat. Tanta Athenienses ira in eiectos tyrannos incensi erant, ut in omnes Pisistratidas decreta longe asperrima fecerint, uti ab eodem Livio discimus [42]). Tanto odio Athenienses in Pisistratidas flagrarunt, ut, accepta in Sicilia clade (nonaginta fere annis post eos expulsos), quum omnibus exsulibus redeundi potestatem dedissent, Pisistratidas solos recipere noluerint [43]). — Sed vereor, ne in hac huius disquisitionis particula longior fuerim; idcirco ad finem propero, sperans, fore ut omnibus, a Clisthene (circiter annum 508 a. C.) ostracismum institutum esse, persuasissimum sit.

§. IV.

De tempore relegationis.

Quamquam, uti supra diximus, ostracismus mali facinoris poena non erat, nullaque eiecto macula adspergebatur, in longum tamen tempus cara patria, amicorum consuetudine carere, negotiis, quibus quis assuevisset, abesse solitaeque vitae rationi renunciare cogi, magnam calamitatem fuisse, nemo negabit. Quantopere eam pertimuerint, discimus ex oratione Andocidis, qui operam, quam potuit, maximam, ut figulinum flagrum a se in alius tergum avertat, impendit. Tempus legitimum exsilii decennale fuisse, testantur Plutarchus innumeris locis, Scholiastes ad Aristophanis vespas [44]), Aristides rhetor [45]), Corn. Nepos [46]) aliique plures, quos memorare longum est. Intra hoc tempus relegato redire non licebat, nisi populiscito revocatus esset, quod quidem saepenumero factum esse, exemplis Aristidis, Cimonis, Thucydidisque Milesiae filii [47]) constat. Diodorus ab his dissidet, perhibens, exsilium quin-

39) Meieri disputat. de ostracismo in Encyclop. Erschii et Gruberi, sect. III. tom. VII.
40) Lib. V. c. 66 et 68.
41) Lib. II. c. 2.
42) Lib. XXXI. c. 44.
43) Vid. Meursium in Pisistrato, c. XVI.
44) V. 941.
45) Loc. cit.
46) In Cimon. c. 3., in Arist. c. 1.
47) Plutarch. in Aristid. c. 8; Pericl. c. 10; Cim. c. 17. Nepos in Arist. c. 1; Cimon. c. 3.

quennale fuisse [48]), quapropter hunc locum apud Diodorum scriptores aliqui, inter quos Meursius [49]) ut corruptum emendare conati sunt. Nec non Scholiastes Aristophanis [50]) a ceteris discrepat scriptoribus, dicit enim, Hyperbolum in sex annos esse relegatum. Ab hac re non est alienum, quod Flor. Christianus in commentario ad Aristophanis vespas v. 941 notat. Ait enim: „Hyperbolus primus in sex annos relegatus est“; dolendum, quod non citavit fontem, ex quo hauserit, illud ei primo evenisse. Verum hae dissensiones evanuerunt, postquam luculentus ille Philochori locus, quem supra laudavi, innotuit. Ex eo enim apparet, tempus relegationis, quod primo decennale fuisset, postera aetate quinquennale factum esse, (ὕστερον δὲ ἐγένοντο πέντε). Hunc in modum Diodorus quoque ceteris scriptoribus conciliandus est, et, si ex emendatione viri doctissimi Meieri ἓξ ἔτη, quod est apud Scholiastam, in έ ἔτη, i. e. πέντε ἔτη mutaveris, omnia ad liquidum perducta sunt. Qua autem aetate haec relegationis temporis mutatio facta sit, ignotum est. Cuius rei mutationis, quum in historia eorum, qui ante Hyperbolum sunt ostracismo eiecti, nulla ab scriptoribus, quod equidem scio, facta sit mentio, forsitan Flor. Christiano fides habenda est, perhibenti, Hyperbolum primum in sex, sive, ex emendatione, quam supra laudavi, in quinque annos eiectum esse. Ceterum, si res se ita haberet, Hyperbolus etiam unicus esset, qui in quinque annos per testam esset expulsus, propterea quod post eum nemo amplius per ostracismum eiectus est.

§. V.

Qua in re relegatio decennalis a ceteris exiliis differat.

Relegatio decennalis non solum temporis spatio, verum etiam aliis rebus differebat a ceteris exsiliis. Eorum, qui sceleris aut flagitiorum damnati in exsilium missi erant, quae φυγὴ sive ἀειφυγία [51]) appellabatur, i. e. exsilium perpetuum, civitatem penitus amittebant, eorumque bona publicabantur, neque illis unquam in patriam redire licebat. Quodsi non vocati in Atticam rediissent, a quovis cive impune necari poterant. Qui autem ostracismo erant mulctati, neque civitatem, nec bona amittebant [52]). Quodsi in exsilio contra pa-

---

[48]) Lib. XI. c. 55.

[49]) Attic. lectt. V. c. 18.

[50]) Vesp. v. 1001 ..... ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἓξ ἔτη.

[51]) Nonnunquam a scriptoribus φυγὴ usurpatur pro voce ostracismus, tanquam species pro genere. Schol. ad Aristoph. vesp. v. 941. Plutarch. in Cimon. c. 17.

[52]) Διαφέρει δὲ φυγῆς ὀστρακισμὸς, ὅτι τῶν μὲν φυγῆς ἁλόντων αἱ οὐσίαι δημεύονται τῶν δὲ ὀστρακισμῷ ἀποστάντων οὐκ ἀφαιρεῖται τὰ χρήματα ὁ δῆμος· καὶ τοῖς μὲν χρόνος ἐνδείκνυται καὶ τόπος, οἱ δὲ φεύγοντες οὐδέτερον τούτων ἔχουσιν. Phavor. s. v. ὀστρακίνδα. Schol. ad Arist. equit. v. 851. ad vesp. v. 941. — Plutarch. in Arist. c. 7: τὸν ὑπὸ πλείστων γεγραμμένον ἐξεκήρυττον εἰς ἔτη δέκα, καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ.

triam hostilia ausi, vel alius flagitii comperti essent, quapropter populo exsilium perpetuum decernere visum esset, tum quoque bona publicata esse, per se patet [53]). Altera praeterea relegatio ad certum tempus erat eorum, qui caedem non voluntariam patrasse iudicati per annum patria carere iubebantur; horum quoque bona non publicabantur [54]). Tum quoque per ostracismum eiectis domicilii locum designatum esse, grammatici docent [55]), quod nimirum in exsilio perpetuo non fiebat, uti per se patet. Quae vero huius designati domicilii loci ratio fuerit, ex historia ostracismo relegatorum non apparet. Plerumque fortasse Argos, urbem et civitatis forma et foederum vinculis et invidia in Lacedaemonios Atheniensibus coniunctissimam petierunt. Themistocles Argos concessit habitatum, uti Nepos in eius vita (c. VIII.) narrat, ad quem locum Lambinus: „Argis commorabantur, qui testarum suffragiis e civitate eiecti erant.“ Inde per reliquam Peloponnesum proficiscebatur. Hyperbolus expulsus Sami degebat. Cimon tenente exsilio apud Tanagram, Boeotiae urbem ἐλθὼν ἐκ φυγῆς [56]), ante pugnam Atheniensium contra Lacedaemonios committendam apparet, ut se in ordines tribulium suorum sisteret, quo se suspicione studii in Lacedaemonios purgaret. Aristides, per testam eiectus, revertebatur ex Aegina, ut consiliis Graecorum de pugna ad Salamina committenda interesset [57]). Neque tamen affirmaverim, Aristidem tenente exsilio in Aegina degisse; fortasse Argis commoratus per insulam in patriam reversus est. Videmus itaque ostracismo eiectos Argis et inde per reliquam Peloponnesum proficiscentes, in Boeotia, in insula Samo commorantes, ergo circumcirca Atticam, ex quo non ita perperam collegeris, illum domicilii locum designatum non definitum quendam, quo decedere, sed quem intrare vetitum esset, eumque nullum alium fuisse, quam fines Atticos. In ostracismo enim eo maxime, ut relegatorum auctoritatem, qua nimis ad rempublicam valerent, infringerent, neque eo spectabant, ut de eorum bonis aut vitae iucunditatibus, rei publicae nihil damni afferentibus quidquam deminuerent; neque enim is erat populus Atheniensis, ut relegatos per ostracismum malis maioribus, quam quae salus publica posceret, implicaret. Quanta autem durities et quam aliena a moliori populi Atheniensis animo fuisset, virum excellentem, optime de republica meritum, neque ullius sceleris convictum aliquo relegare, quo fortasse et amicis carere et domicilium solitae vitae rationi haud commodum collocare coactus esset! Quibus de causis contendere vix dubitarem, relegatis sibi ipsos domicilii locum, modo ne esset in finibus Atticis, deligere permissum fuisse, nisi locus ille apud Philochorum „μὴ ἐπιβαίνοντα ἐντὸς πέρα [58]) τοῦ Εὐβοίας ἀκρωτηρίου“ scrupulos aliquos mihi iniiceret. Philo-

---

53) Cf. Schol. ad vesp. 941.

54) Meier. de bon. damnat. p. 99.

55) Lex. rhetor. 285, 25. Schol. ad Aristoph. equit. v. 851; ad vesp. 941.

56) Plutarch. in Pericl. c. 10.

57) Herodot. VIII. 79. Plutarch. in Aristid. c. 8.

58) ἐντὸς πέρα est in codice; fortasse est legendum πέρας, ut sit genitivus ab obsoleto substantivo πέρα, i. e. extrema pars.

chorus promontorium Euboiae, intra quod finibus Atticis appropinquare relegatis vetitum fuisset, designat, quin promontorium illud nomine proprio appellet; ex eo colligi licet, illud promontorium Athenis *κατ᾽ ἐξοχὴν* Euboicum appellatum esse. Utrum autem *Γραίστου*, an *Πεταλίας* fuerit, definire, non est mearum virium; sed hoc certo certius est, hoc promontorio relegatis fines, quos ingredi vetarentur, saltem versus unam coeli regionem satis definite designatos esse. Sed qui erant fines e. c. versus meridiem, aliasque regiones? Qua de re quum Philochorus taceat, coniecturam facere licet, relegatos per octracismum coactos fuisse, tantum a finibus abesse Atticis quoque versus, quantum illud promontorium ab illis distabat.

§. VI.

Quo modo testarum suffragia lata sint, sive de *ὀστρακοφορία*.

Priusquam ordinem et modum huius rei peragendae describemus, quaedam de comitiis Atheniensium praemittenda esse mihi videntur, quo facilius ii, qui non ita penitus antiquitatibus Graecis initiati sint, ea quae nunc pertractanda nobis sunt, intelligant. In numero multarum earumque gravissimarum commutationum, quas Clisthenes in iis, quae a Solone instituta erant, effecit, easque ut rempublicam, quam Solon ita constituerat, ut quasi status medius inter dominationem optimatium et populi intercederet, prorsus popularem constitueret, illud profecto habendum est, quod, quum totus populus Atheniensis antea in quattuor tribus esset divisus, decem tribus descripsit, peregrinis et multis servis in civitatem recipiendis, eo quidem consilio, „ut permixti cum plebeiis ignotis sibi antea, et cum adscripticiis civibus patricii, dissolutis pristinae consuetudinis et coniunctionis vinculis, minus auctoritate et necessitudinibus apud ceteros valerent. Senatum autem multiplicavit, quinquagenis e singulis tribubus senatoribus sortitis, ut universorum numerus efficeretur quingentorum. Quinquageni autem illi uniuscuiusque tribus senatores decimam anni partem senatui comitiisque praesidebant, prytanum per id tempus nomine insigniti; tempus autem illud, tricenorum quinorum aut senorum, pro lunaris anni modo, dierum, prytania dicebatur. Praesidebant autem singulae senatorum tribus non certo quodam et definito ordine, sed eo qui sorte evenisset. Sed prytanes ipsi munera sua non simul omnes, sed per vices obibant, in quinas decurias sorte distributi, quarum singulae septenos dies reliquis omnibus praesidebant et praesides v. *πρόεδροι* ab re appellabantur. His autem praesidibus ad singulos e septenis dies singuli praeerant epistatae item sorte ducti, penes quos arcis et aerarii claves erant“ [59]). Quum hae decem prytaniae, quarum singulae tricenos quinos aut senos habebant dies, totum annum Atticum explerent [60]), ex nostro more diceremus: annus Atticus denis constabat mensibus dierum tricenorum quinorum aut senorum; singulis mensibus una ex de-

[59]) Shoemann. de comit. p. XVI.
[60]) Boeckh. Statshsh. II. p. 176.

nis prytaniis summae rerum praeerat, ita tamen ut, quod triginta quinque dies quinque efficiunt hebdomades, deni prytanes praesides v. πρόεδροι ex illis quinquagenis per unam hebdomadem rebus praeessent. — „Iam vero praesides cum epistata in senatu et comitiis res consultandas proponebant et ubi satis erat disceptatum, senatum populumve in suffragium mittebant. Sed adjuncti iis erant ex reliquis novem tribubus, quarum non erat eo tempore prytania, singuli viri, ab epistata sorte ducti, qui et ipsi proëdri appellabantur, suumque habebant epistatam et quorum officium erat videre, ut in ipsa consultatione rite omnia et legitimo ordine fierent" [61]). — De omnibus rebus gravioris momenti ad rempublicam spectantibus, e. c. de bello et pace, de legibus ferendis et abrogandis, de magistratibus creandis et dimittendis populus in comitiis decernebat, antea in senatu de his rebus deliberatione habita, senatusque consulto conscripto. Quod praeconsultum senatus προβούλευμα vocabatur [62]). Hoc προβούλευμα populo in concionibus proponebatur, populus per praesides evocabatur, ut statueret, utrum placeret necne, utrum senatus praeconsultum satis valeret, an populo hac de re ulterius disceptare placeret. Voluntatem suam populus porrectis manibus declarabat, idque προχειροτονεῖν et προχειροτονία dicebatur [63]). Quod ad conciones ipsas attinet, hoc solum, quoad rem meam spectat, animadverto, aut ordinarias aut extraordinarias fuisse. Ordinariae (ἐγκλησίαι νόμιμοι) quaternae erant singulis prytaniis, quarum prima κυρία [64]) vocata est, extraordinariae autem (σύγκλητοι, propterea quod ad eas populus per praecones et nuncios convocabatur) habebantur, si quid subito praecipue belli tempore accidisset, quod populiscitum poposcisset [65]). — Sed unde huc degressa est, eodem redeat disputatio. Ex lege, a Clisthene lata, quovis anno ineunte sexta prytania, in prima populi concione populus ad προχειροτονίαν provocabatur, utrum ei testularum suffragia ferre placeret, necne [66]). Probabilissimum est, populum ante προχειροτονίαν a senatu monitum esse, ut rem diligentissime animo perpenderet, ne temere ageret, ut, cuius rei causa lex de ostracismo lata esset, recordaretur, neve rem gravissimam in ludibrium verteret, praetereaque multa alia a senatu dicta esse, prout res postularet et senatum, moderatorem populi imperii deceret atque oporteret. Postquam populo, ostracismum institui, placuit, dies suffragia per testulas ferendi, nisi forte semel lege praescriptus erat, a senatu constitutus est. Quum vero ex lege tam definita hac de re senatum quotannis coram populo agere oporteret, necesse non erat, quod vir cl. Meierus existimat, ante ad senatum ro-

---

61) Schoem. l. l.
62) Eodem, p. 96.
63) Eodem, p. 99.
64) C. Fr. Hermann, griech. Staatsalt. §. 128.
65) Schoem. p. 28.
66) Lex. rhetor. post. Phot. Pors, v. κυρία, p. 672: ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης πρυτανείας πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονίαν δίδοσθαι, εἰ δοκεῖ ἢ μή.

gationem ab aliquo hac de re latam esse. Neque est, cur in eiusdem sententiam discedam, putantis, probabile esse, a senatu aliquos „plerumque ternos", ut reipublicae libertati periculosos, designatos esse, e quibus populus unum *) elegisset relegandum [67]). Huius rei nemo antiquorum scriptorum meminit, neque terni plerumque, si ab uno exemplo, quod in Andocidis oratione memoratur, discesseris, sed bini plerumque certabant de ostracismo, ut Pericles cum Thucydide, Themistocles cum Aristide [68]). Ad quid etiam senatus binos aut ternos designasset, quum e senatus arbitrio minime penderet, quis relegandus esset? Forsitan, ut populo, nempe rerum inscio et rudi, nutu quasi significaret, quis civitati perniciem afferre posset? Populus Atheniensis ita emunctae naris erat in rebus politicis, ut perfacile odoraretur, unde suae libertati periculum immineret. Neque negari potest, multo ante diem *ὀστρακοφορίας* de ostracismo multum in urbe disceptatum, multum inter se confabulatos et de singulis altercatos esse, quibus *κεραμεικὴ μάστιξ* minaretur. Maturius sodalitia et factiones, quas *ἑταιρείας* vocabant, contra hunc vel illum conspirabant, ex quarum numero et singularum robore facile prospici poterat, quibus de ostraco certandum foret. Et si populo neminem, nisi unum ex illis a senatu designatis, relegare licuisset, ostracismum de Hyperbolo effectu caruisse necesse est, propterea quod in numero designatorum non fuerat, quod inde patet, quod ipsi, ut Plutarchus testatur [69]), fortuna illa nihil tale cogitanti accidit. Oratores et calumniatores in conciones aut coetus hominum prodibant (forsitan iam longe ante sextam prytaniam) qui omni ope atque opera enitebantur, ut populi animum ad omnia, unde civitati periculum impenderet, adverterent, non dubitantes, etiam nomine eos appellare, qui vel opibus, vel nimia auctoritate, vel sodalitiis rempublicam popularem in discrimen adducere possent. Quod vere me dicere, Plutarchus auctor est, memorans, Thucydidem ab Pericle, certamine de ostraco inter utrumque contracto, eiectum eiusque *ἑταιρείαν* aversam dissolutam esse [70]). Nec non Nepos [71]), qui narrat, Aristidem a Themistocle collabefactum et testula expulsum esse. Idem docemur a Plutarcho in Aristide, et Alcibiade. Planissime autem hoc intelligitur ex oratione contra Alcibiadem, sive Andocidis, sive est Phaeacis [72]). In hac enim oratione videmus oratorem maxime elaborantem, ut ostracismum, quem uni ex tribus, oratori ipsi, aut Niciae aut Alcibiadi impendere dicit, in Alcibiadem convertat. Ex eadem oratione etiam discimus, accusatos criminationes etiam coram populo repulisse; Alcibiadem enim, dicit orator, ad ea, quae ipsi crimini dederit, responsurum esse [73]). Quamquam autem incer-

67) Meier. l. l. p. 180. Hermann. l. c. §. 130. 10.
68) Plutarch. in Aristid. c. 7. in Pericl. c. 14.
69) Alcibiad. c. 13: *ἐξήλασε τὸν Ὑπέρβολον οὐδ' ἂν προσδοκήσαντα.*
70) Pericl. c. 14.
71) Aristid. c. 1.
72) Vid. Droysen. in Musaeo rhen. III. II. p. 199.
73) P. 111. et 125. ed. Reick.
*) Civium non amplius unum singulis annis per ostracismum expellere potuerunt.

tum est, num hae disceptationes coram populo in ea ipsa concione (*κυρία*), quae *προχειροτονία* de ostracismo erat, fieri coeptae sint, tamen pro certo habere possumus, eas in illa concione ad finem perductas non esse. Nam priusquam de ostracismo ad populum referretur, tam multa eaque gravissima negotia peragenda erant, (e. g. magistratus sanciebantur aut abrogabantur, crimina extraordinaria, quae *εἰςαγγελίαι* dicebantur, ad populum deferenda, confiscationes bonorum recitandae, multaque praeterea agenda erant [74]), ut haud dubie, iis expeditis, maxima diei pars, diebus praeteritis, quum sexta prytania in mediam incideret hyemen [75]), brevissimis, praeterlapsa esset, et tali modo oratorum postremus non ita magna auditorum corona gavisus esset. Multi insuper laboris fuit, populum ad conciones compellere, quod ex eo patet, quod cives pauperiores mercede aliqua, primo uno obolo, post auctore Agyrrhio tribolo allici opus erat [76]). Immo etiam Scythae, quos vocabant, cum fune rubricato circumibant, ut congregatae multitudinis globos in comitium compellerent. Qui non procedebant et minio, quo isti funes illiti erant, tingebantur, iis mulcta quaedam imposita est [77]). In secunda concione ordinaria, quae plerumque vigesimo prytaniae die [78]) habebatur, in qua tam de privatis, quam de publicis agi poterat rebus [79]), vehementissimae et maximae, ut mea est opinio, disceptationes et altercationes factae sunt.

Quum tandem dies *ὀστρακοφορίᾳ* constitutus apparuerat, quo die alii anxiis cruciati curis, alii laetitia ex alieno nata malo elati, omnes autem summa rerum exspectatione erant intenti, tum cives undique (*πανταχόθεν* [80]) ex Attica conveniebant, (haec concio erat *σύγκλητος*). Pars aliqua fori (*τῆς ἀγορᾶς*) in orbem cancellis circumsepiebatur, decem aditibus pro numero tribuum relictis. Quivis civis nomen illius, quem volebat relegari, in testula inscribebat [81]). Qui scribendi literas imperitus erat, rogabat alium, ut pro se nomen inscriberet, quod exemplo Aristidis et rudis illius rustici, quem nominis Iusti, quod Aristidi tribuerant, pertaesum erat, docemur [82]). Tum singuli cives, tributim divisi, per portas, singulis tribubus designatas in locum septum introierunt testulamque, nomine inscriptum aversam (*στρέφοντες* [83]), ne nomen inscripti ab aliquo videretur) in urnis vel cistellis deposuerunt. Archontes et senatus [84]), sive quod est probabilius, senatus praesides prytanes videbant, ut omnia rite atque ordine fierent. Quum omnes testulae depositae essent, dinumerabantur

---

74) Lex. rhetor. v. *κυρία* (post. Phot. p. 672). et Tittmann, griech. Staatsverf. p. 166.
75) Boeckh. l. c. II. p. 196.
76) Boeckh., eodem, I. p. 247. Schoem. p. 67.
77) Schoem. p. 63.
78) Boeckh. l. l. II. p. 172.
79) Tittmann. p. 167.
80) Plutarch. Arist. c. 7.
81) Pollux, VIII. V. Plutarch. eodem.
82) Plutarch. eod.
83) Philochor. l. c.
84) Philoch. l. eod. et Schol. ad Aristophan. equit. v. 851.

ab Archontibus universim. Quodsi minus sex mille invenirentur, ostracismus irritus erat omnique carebat effectu [85]). — Hactenus antiqui scriptores, qui huius rei meminerunt, inter se consentiunt, licet alius rem brevius, alius copiosius et accuratius exponat. Discrepat autem inter eos: utrum consensu minimum sex mille civium suffragia ferentium ad aliquem relegandum opus fuerit, an, si iustus numerus sex milium adesset, eum, cuius nomen maiori testarum parti inscriptum appareret, exsulare oportuerit. In posteriori sententia est Plutarchus; ait enim, ei, cuius nomen a plurimis fuisset scriptum, a praecone exsilium decennale pronunciatum esse, permissis facultatibus [86]).

Primum in ea, quae Plutarchi sententiam defendere videantur, inquiramus. Timaeum [87]) et alios, quorum verba in utramque sententiam accipi possunt, omittamus. Plutarchus etsi non repugnat Diodoro Siculo, narranti, eum, cuius nomine plurimae testulae fuerint inscriptae, exsulare debuisse [88]), tamen id non est magni momenti; testimonium enim Diodori, quod ad singula quaevis *ὀστρακοφορίας* describenda attinet, non magni est habendum, quippe qui rem ipsam levi brachio et quasi in transitu breviter attingat, ne memorato quidem iusto sex milium numero, atque adeo ostracismum quinquennalem nominet, licet de exsilio Themistoclis disserat, quod certo eo factum est tempore, quo de quinquennali exsilii tenore ne cogitatum quidem est. Neque temperare mihi possum, quin suspicer, Diodori animo in hac re petalismum Syracusanorum, quod erat exsilium quinquennale [89]), obversatum fuisse. Rem autem aliam maioris momenti, qua fieri posset, ut in Plutarchi sententiam discederem, nunc exponam. Universorum civium Atticorum, qui suffragia ferre possent, (intelligebantur autem cives, qui ius suffragii habebant, mares omnes amplius viginti annos nati [90]), quamvis numero circiter XX. milia essent [91]), tamen vix dimidius eorum numerus comitiis interesse solebat, quum alii propter negotia extera domesticave, alii negligentia, alii quoque comitiorum despicientia adducti non apparerent. Boeckhius vir ille celebratissimus docet, plerumque circiter octingentos, aut, ex eiusdem viri sententiae suae correctione, multo etiam minus octingentos cives comitia frequentasse [92]). Atque adeo, ne quinque quidem civium milia unquam vel de maximis rebus convenisse dicuntur, quum vel peregre militassent, vel propter extera negotia abfuissent. [93]) Sed haec, quae apud Thucydidem a quadringentis, qui tum

---

85) Plutarch. Arist. 7.

86) L. eod. *τὸν ὑπὸ πλείστων γεγραμμένον ἐξεκήρυττον εἰς ἔτη δέκα, καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ.*

87) Lex. Platon. p. 114: *τῶν ὀστράκων ὑπὲρ ἑξακισχιλίων γενομένων, φυγὴ δεκαετὴς καταψηφίζεται τοῦ κρινομένου.*

88) Diod. XI. 55.

89) Idem, XI. 87.

90) Clinton. fast. hell. p. 74.

91) Boeckh. l. c. I. p. 35. seqq. Clinton. l. l.

92) l. c. I. p. 248 et II. p. 412.

93) Thucydid. VIII. 72.

temporis rerum potiti erant (411. a. C.), relata esse perhibentur, referenda sunt ad tempora belli Peloponnesiaci, quibus plurimis civibus peregre militandum erat. Ceterum haec res ne ita quidem magni aestimanda est, propterea quod a quadringentis falsum est relatum. Constat enim, Hyperbolum tempore illius belli ante quadringentos ostracismo expulsum esse, quod fieri non potuisset, nisi minimum VI milia civium ad suffragia ferenda convenissent. Nihilominus tamen ex his omnibus elucet, vix unquam ecclesiae numerum, vel frequentissimae octo aut ad summum decem milia excessisse. Quorum quum VI milia longe maior esset pars, raro accidebat, ut tantus civium numerus in forum conveniret, rarius etiam, ut in una eademque re consentiret. Quae quum ita sint, hoc argumentum ad Plutarchum defendendum plurimum valere, nemo non concedet; ceterum de civium in ostracismo exercendo frequentia plura statim dicam. — Postremum quod utique non parum valet ad Plutarchi sententiam defendendam, illud Andocidis est, qui in oratione illa, quam saepe commemoravimus, contendit: unum ex tribus, aut ipsum oratorem, aut Niciam, aut Alcibiadem necessario figlini flagri, ut iocose dicam, plagas passurum esse, id quod saltem necessarium non erat, si ad aliquem relegandum minimum suffragia VI milium civium, qui consensissent, fuissent requisita. Quamvis haec verba prima specie firmissimum argumentum ad Plutarchi sententiam probandam videantur esse, illud tamen argumentum valde diluetur, si reputes, verba esse rhetoris, nil aliud spectantis, quam ut populum ira in adversarium inflammet, et interea, quo dum tendit, veram rei rationem negligentis. Hoc eo probatur, quod ea, quae Andocides tam definite praedixerat, longe aliter evenerunt; nemo enim e tribus eiectus est.

Haec sunt, quod sciam, argumenta, quibus Plutarchi sententia defendi possit. Iam vero festinemus ad exponenda ea, quae eam impugnant. Pollux dicit: ὅτῳ δὲ γένοιτο ἑξακισχίλια, τοῦτον φυγεῖν ἐχρῆν, cui autem VI milia cecidissent, hunc fugere oportebat [94]). Idem fere Scholiastes [95]): ὧν (scribe ᾧ) πλεῖστα γένοιτο, καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον ἔδει ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως, εἰ δὲ μὴ γένοιτο ἑξακισχίλια, οὐ μεθίστατο, i. e. cui autem plurimae sc. testulae cecidissent, et non minus VI milibus, eum oportebat urbe excedere intra decem dies; si vero non essent VI milia, non exsulabat. Idem Philochorus loco, quem supra citavi: ὅτε (scr. ex emendatione Meieri, ὅτῳ) πλεῖστα γένοιτο καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον etc. Denique posito et concesso eo, quod doctissimi viri contendunt [96]), ad leges de privilegiis, quas vocant, cuius generis erant, e. c. de civitate alicui donanda, περὶ ἀδείας [97]), aliisque de rebus his similibus [98]), quae non iura universorum, sed singulorum spectabant, sanciendas opus fuisse consensu

94) VIII. V. 95) Ad Aristophan. equit. V. 851.

96) Schoemann. l. c. p. 273. Plattner. Process u. Kl. II. p. 136. Meier. l. c. p. 182. Tittmannus l. l. p. 190., quamquam hac in re haesitat, inclinare tamen videtur in horum virorum sententiam.

97) Nemini licuit, cum populo agere de capite diminutis in integrum restituendis, de iis, qui aerario publico vel deorum deberent, nisi venia agendi et impunitas (ἄδεια) a populo data esset. Boeckh. l. l. II. p. 184. 98) Schoem. p. 125.

minimum VI milium civium, qui suffragiis occultis eas leges tulissent [99]; necesse est concludamus argumentum, sex milia civium, ut ostracismus valeret, consentire oportuisse, et Plutarchum hac quidem in re magnopere errasse [100]. Verum enim vero si omnino quidquam in numero privilegiorum est habendum, sine ulla dubitatione ostracismus privilegium fuit [101]. Et licet concedas, de rebus vel maximis conciones perraro frequentes fuisse, id quod plurimum ad Plutarchi sententiam defendendam valere supra diximus, tamen vix dubitandum est, quin in *ὀστρακοφορίᾳ* frequentissimae fuerint. Reputa quaeso miram et singularem octracismi rationem; iudicium erat non de re quotidiana, verum de summis in republica viris, idque media hyeme, qua civium frequentia in urbe erat maxima. Apparatus in foro fieri, cuius rei spectandae studio multi alliciebantur; rustici undique convocati in urbem advolare; singulorum sodalitiorum (*ἑταιρειῶν*) duces circumvolitabant: cohortari, orare, minari, polliceri, corrumpere, multaque alia facere, (quis enim ignorat, quid non in talibus rebus fieri soleat?!) omnibus viribus enixi, ut suas factiones quam validissimas efficerent. — Postquam tandem, ne longior sim in singulis quibusvis, quae quisque facile sibi animo effinxerit, describendis, archontes dinumeratis et comparatis singulorum testulis, legitimum ad aliquem relegandum numerum repererunt, praeco nomen illius provocavit eumque intra decem dies urbe excedere iussit in decem annos. Intra hos dies res suas privatas ordinare, nec non causas iudiciarias, si forte in causa aliqua aut actor aut reus versaretur, expedire debebat. Itaque civis evocatus, permissis facultatibus, salva civitate, licet per id tempus ab ea exercenda impediretur, salva et incolumi fama urbe excessit: alius irae explendae flagrans studio, alius urbem fastidiens, alius culpae conscius et necessitati parens, generosi autem animi Aristides, sublatis ad coelum manibus, deos implorans, ne ullum tempus populo Atheniensi incideret, quo civitas reminisci adigeretur Aristidis!

§. VII.

De fine ostracismi

In fine huius disputationis forsitan aliquis a me iure quodam exspectaverit, fore ut virorum omnium, qui Athenis ostracismo relegati sint, memine-

---

99) *Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις.* Demosth. adv. Timocrat. p. 719. Item Demosth. adv. Timocrat. p. 714, et Andocides de myster. p. 42. — Cui rei additamentum illud „*οἷς ἂν δόξῃ*“ inserviat, nisi quo consensus VI M. civium significetur, nescire me fateor.

100) Boekhius se inclinat in sententiam Plutarchi, sed certo, ut opinor, aliis iisque maioris momenti rationibus adductus, quam loco illo apud Thucydidem, cui falsum inesse demonstravimus; nec non V. cel. Wachsmuthio (Hell. Altrth. I. I. p. 272) videtur, exsilium decennale a maiori VI M. parte decretum esse; errat autem, si putat, (l. c. p. 259) in legibus de privilegiis, quibus certo ostracismus adnumerandus est, ferendis illa VI M. suffragia ferentium solos heliastas fuisse; constat enim, in his rebus civium plus VI milibus suffragari licuisse; at heliastarum non amplius VI M. erant.

101) Tittmann. p. 190. l. c.

rim, causasque, de quibus ipsis ostracismus inflictus sit, exponam; sed doleo, quod huic exspectationi respondere non possum, simul quod longius foret, quam per has huius libelli paginas liceret, simul quod non multum maioris momenti habeo, quod disquisitioni, quam vir cel. Meierus his de rebus instituit, addam. Paucis itaque nomina tantum eorum, qui intra spatium fere centum annorum, quoad ostracismus Athenis tenuit, relegati sunt, enumerabo, ut in Hyperbolo, quippe qui postremus sit eiectus, aliquanto possim esse copiosior.

Primum ostraco eiectum esse Hipparchum, Charmi filium, supra dixi. Post eum eiecti sunt Megacles, celebratissimi Clisthenis filius, et Alcibiades, quorum ille magni belli ducis Alcibiadis avus maternus, hic paternus fuit. (Num uterque bis sit eiectus, quaeritur). Porro, secundum Heraclidem Ponticum, Xantippus ostracismo mulctatus est, qui haud dubie idem cum Xantippo, patre Periclis fuit; nec non Calliae cuidam, Didymii filio ostracismum irrogatum esse, Andocides narrat. Aristidem, Themistoclem et Cimonem, viros illustrissimos, optimeque rebus contra Persas gestis de civitate Atheniensium meritos in hanc calamitatem incidisse, quem latet? Nec non Thucydides Milesiae filius, certans cum Pericle eiectus est. Damon quoque, quem vocant musicum, re vera philosophus et politicus, praeceptor et amicus Periclis relegatus est. Qui viri omnes, quorum historia, ostracismum passorum, mentionem facit, quum vel rebus domi militiaeque praeclare gestis celebratissimi essent, vel nobilitate generis maxime florerent, vel scientia atque institutis optime de Atheniensibus meriti essent; stupendum profecto est, illis postremum hominem adnumerandum esse pessimum, qui praeter sortem, quae ipsi cecidit, ne in ulla quidem re cum illis viris possit comparari — Hyperbolum. Verum enim vero nequissimus homo eiectus est, non, ut ait Thucydides [1]), διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως. Hic homo profecto miserandam consequutus est celebritatem. Homo enim erat ex infima plebe [2]), ab omni politiori elegantia abhorrens humanitatisque expers, at magno ingenio et robusta voce ad calumniandum et conviciandum praeditus. Homo erat perfrictissimae frontis et gloriae incuria probri contemtor. Lucernas fabricabat, at vitio et dolo, non ex aere solido, sed plumbo addito, quo maioris essent ponderis; talis enim describitur in nebulis Aristophanis [3]). Innumeris locis dicteriorum materiam comicis praebet, a nemine autem acerbius est castigatus, quam ab Aristophane [4]).

Hoc vappa, qui non opibus et auctoritate audaciam, sed audacia opes et auctoritatem adeptus erat, populus post Cleonem latratorem mortuum (422 a. C.) ad calumniandos et perstringendos urbis principes frequenter utebatur, eiusque impulsu exsilium decennale irrogaturus erat. Quum nemini dubium esset, quin ex tribus, Nicia, Alcibiade aut Phaeace, uni inflicturi essent, Alcibiades consociavit factiones (ἑταιρείας) in unum, ac re cum Nicia, sive ut alii volunt, cum Phaeace communicata, Hyperbolum eiecit civitate nihil minus cogitantem. Vilis enim vel obscurus in eam mulctam nemo incidebat:

„Οὐ γὰρ τοιούτων εἵνεχ' ὄστραχ' εὑρέθη“

---

[1]) VIII. 73. [2]) Schol. ad vesp. 1001. [3]) Flor. Christian. not. ad pac. v. 689.
[4]) In equit. v. 1301; pac. 680, sqq. cf. Schol. a. h. v.

ait Plato Comicus. In praesentia quidem populo iocum et risum excitabat, post vero moleste tulerunt, quum eam rem per hominem indignum (quippe qui potius ad furcam pertineret, quam qui hac poena dignus existimaretur) foedatam arbitrarentur; imo vero poenam ducebant exsilium decennale Thucydidi, Aristidi et his similibus esse, Hyperbolo vero honorem atque iactantiae occasionem. Ita fere rem narrat Plutarchus [5]). In insulam Samum exsulatum ivit, ubi non ita multo post tempore, quo quadringenti Athenis rerum potiti sunt, (411. a. C.) necatus est [6]).

Cadaver eius sacco inclusum et in mare abiectum est [7]). Hic ostracismo eiectorum postremus fuit [8]). Athenienses poenam honestam conspurcatam esse, intelligebant, ludibrio quasi sodalitiorum et factionum factam. Quae sodalitia quum Athenis valere plus legibus incepissent, lex consilio, quo ab Clisthene erat data, non amplius conducens in desuetudinem abivit, ut equidem opinor. Quando vero abrogata sit, non satis constat; fortasse autem, ut vir cel. Droysenius [9]) opinatur, tempore quadringentorum, quod non ita multo post Hyperbolum eiectum secutum esse, nunc in fine disputationis meae demonstrare conabor. — Hyperbolum eiectum esse ea occasione, qua Alcibiadi cum Nicia aut Phaeace de ostracismo certandum fuit, planissime ex Plutarcho intelligitur [*]). Quaeritur igitur, quo anno hoc certamen fuerit. Post Ol. 91. 1. factum non est; nam eiusdem anni mense Ianio Alcibiades et Nicias cum exercitu in Siciliam profecti sunt, et posthac Alcibiades neque ullum cum Nicia Athenis habuit negotium (Nicias enim ex Sicilia non est reversus), neque unquam Athenas reversus, cum quoquam de ostraco certavit. Meierus existimat, ante Ol. 91. 1. Hyperbolum non esse eiectum, quod Ol. 92. 1. adhuc Sami degisset, quamvis exsilium tum temporis quinquennale fuisset [10]) Sed haec ratio non satisfacit; ponamus enim, exsilii tempus elapsum fuisse, quare oportebat eum Athenas redire? At altera ratio, quam vir doctissimus ex oratione Andocidis haustam affert, magis ad rem suam probandam idonea est. Ex illa enim oratione etiam intelligitur, Alcibiadem cum Nicia et oratore (cum mea utique argumentatione magis concineret, si oratio Phaeacis, et non Andocidis esset) de ostraco certasse. Haec autem oratio habita est Ol. 91. 1. [11]), quod eo probatur, quod orator Melium expugnatam commemorat. Ergo, nisi forte Alcibiades bis de ostracismo certavit, Hyperbolus anno Olympiadis nonagesimae primo (415 a. C.) expulsus est.

---

5) In Alcibiad. c. 13; in Nicia, c. 11. 6) Thucyd. VIII. 73. 7) Schol. ad Ar. vesp. 1001; ad pac. 680. 8) Plutarch. Nic. c. 11. in Aristid. c. 7. 9) In Musaeo rhen. l. c. *) In Nic. 11; Arist. 7; Alcib. 13. 10) Meir. l. c. p. 187. 11) Droysen. l. c.

Epilogus. Quum me huic rei disquirendae, cuius cognoscendae singulari quodam studio tenebar, accingerem, hanc rem saepenumero iam a multis iisque doctissimis viris pertractatam esse, fateor me inscium fuisse; prorsus autem inscius eram, non ita multis abhinc annis plenissimam a viro doctissimo Meiero hac de re disputationem factam esse. Vehementer igitur dolui, quod, quum laudatam disputationem adesse comperissem, licet omni opera impensa tum demum in eius possessionem veni, quum prope tempus instabat, ut opusculum meum typis exscribendum curaretur. Quodsi enim illam disputationem, quae abunde fere huic de ostracismo quaestioni satisfacit, prius cognovissem, aut de ostracismo non scripsissem, aut duce tam egregio diligentius et accuratius in eam rem inquisivissem. Verumtamen, utcunque disputatio mea diiudicabitur, etsiamsi non multa nova protulerim, neque ita viris doctissimis satisfecerim, tamen multa planius atque ad ostracismi rationem intelligendam apertius a me exposita atque ita multis certe amicis et dilectissimis discipulis gratum factum esse, confidere posse mihi videor.

Schulnachrichten.

I. Lehrfächer, Lehrbücher u. s. w.

Ober- und Unter-Prima (kombinirt).

Ordinarius: Stieve.

1. Religion. Die Glaubenslehre von der Erlösung, Gnade, von dem Gebete und den h. Sakramenten, verbunden mit der Geschichte der betreffenden Irrlehren. — Lehre von den Pflichten gegen Gott und gegen uns selbst. Wochentlich 2 St.
Hr. Religions- und Gymnasiallehrer Hölscher.
2. Philosophische Propaedeutik. Psychologie. Die Lehre von den Begriffen, Urtheilen und Schlüssen. Wochentlich 2 St. Stieve.
3. Mathematik. Stereometrie nach Kries. Wiederholung der Progressionen, die Zinseszins- und Rentenrechnung in vielen Beispielen. Wochentlich 4 St.
Hr. Gymnasiallehrer Hohoff.
4. Physik. Die Lehre von den tropfbaren und ausdehnsamen Flüssigkeiten, nach Fischers mechanischer Naturlehre im Auszuge von August. Wochentlich 2 St.
Hr. Hohoff.
5. Naturgeschichte. Einleitung in die Mineralogie, Botanik und Zoologie; kurze Uebersicht der drei Naturreiche nach Rödig. In einzelnen Stunden. Hr. Hohoff.
6. Geschichte und Geographie. Neue Geschichte, vorzüglich die von Deutschland, Frankreich und England, woran die Geschichte der wichtigsten Ereignisse in den übrigen Staaten Europas angeknüpft wurde. — Uebersicht über den Globus und Repetition der politischen Geographie von Europa, hauptsächlich von den Staaten der fünf großen Mächte. Wochentlich 3 St. Hr. Oberlehrer Heumann.
7. Deutsch. a. Literaturgeschichte von den ältesten Zeiten bis auf Gottsched. Erläuterung von Meisterstücken. b. Leitung und Verbesserung der freien schriftlichen Arbeiten. Wochentlich 2 St. Stieve.
8. Latein. a. Cic. Off. lib. II. cap. 10. bis zu Ende und lib. III.. b. Cic. Oratt. p. Rosc. Am., p. Leg. Man. (kursorisch). c. Hor. Carm. lib. I., Serm. lib. I. sat.